Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



hoc preoccupauit ut fugerem in tharsis. Scio enim quia tu deus clemens & misericors es patiens et multe misericordie & ignoscens malitiam. Et nunc domine quæso tolle animam meam a me quia melior est mihi mors quam uita. Et dixit dominus. Putas ne bene iratus es tu. Et egressus est ionas de ciuitate & sedit contra orientem ciuitatis & fecit sibimet umbraculum ibi. et sedebat subter illud in umbra. donec uideret quid accideret ciuitati. Et præparauit dominus deus hederam. et ascendit super caput ionæ. ut esset umbra super caput eius & protegeret eum. lætatus est ionas super hedera lætitia magna. Et præparauit deus vermem ascensu diluculi in crastinum & percussit hederam & exaruit. Et cum ortus fuisset sol præcepit dominus uento calido & urenti. & percussit sol super caput ionæ & æstuabat & petiit animæ suæ ut moreretur & dixit. Melius est mihi mori quam uiuere. Et dixit dominus ad ionam. Putas ne bene iratus es tu super hederam. Et dixit. Bene iratus sum ego usque ad mortem. Et dixit dominus. Tu doles super hederam in qua non laborasti. nec fecisti ut cresceret. quæ sub una nocte nata est. & una nocte periit. & ego non parcam ninive ciuitati magnæ. in qua sunt plus. cxx. hominum. qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam & iumenta multa.

Caput ploqus m ofiche

Ecce verbum quod factum est ad micheam morasthi. in diebus ioathan. achaz. ezechie. regum iuda. quod uidit super samariam & hierusalem. Audite populi omnes. & attendat terra & plenitudo eius. & sit dominus deus nobis in testem. Dominus de templo sancto suo. Quia ecce dominus egredietur de loco suo. & descendet & calcabit excelsa terræ. Et consumentur montes subtus eum. & valles scindentur sicut cera a facie ignis. sicut aquæ quæ decurrunt in præceps. In scelere iacob omne istud. et in peccatis domus israhel. Quod crimen iacob. nonne samaria. Et quæ excelsa iudæ. nonne hierusalem. Et ponam samariam quasi acerum lapidum in agro cum plantatur uineæ. Et detrahsam in uallem lapides eius. et fundamenta eius revelabo. et omnia sculptilia eius comminuentur. et omnes mercedes eius comburentur igni. Et ponam omnia ydola eius in perditionem quia de mercedibus eius congregata